

ad ea son soqaynem slm shuay
uo u. ne orat s. smun yagnew
ne or. smunqen qmoh up uai
ouu o. sanon s. n. em any uoy
any. y. ad moit sidoo v. d. s. ymb
am amp. n. y. a. m. n. d. x. p. u. n. q. u. a. u. e
m. d. o. n. e. y. a. g. n. e. m. s. o. n. u. o. s. u. i. p. o. m.
p. e. d. s. a. n. c. t. u. s. i. n. e. p. l. e. n. t. e. s. i. n. e. p. l. e. n. t. e. s.
p. l. e. n. t. e. s. a. d. p. a. t. r. e. m. e. t. r. o. s. e. n. d. i.
p. e. n. t. e. s. a. d. p. a. t. r. e. m. e. t. r. o. s. e. n. d. i.
p. e. n. t. e. s. a. d. p. a. t. r. e. m. e. t. r. o. s. e. n. d. i.
p. e. n. t. e. s. a. d. p. a. t. r. e. m. e. t. r. o. s. e. n. d. i.
p. e. n. t. e. s. a. d. p. a. t. r. e. m. e. t. r. o. s. e. n. d. i.

102



17/15

9.9.18

14

Be

Theol. D. VII. 331.



R N A T A L I S
I E S V C H R I S T I
S A L V A T O R I S

C I D I D X X C V I I .

DE VINEA CHRISTI.

Cum Appendice.



12



S
L
E
R
V
A
N
S



Σ Τ Ν Θ Ε Ω
NATALIS D. N.
IESV CHRISTI.
CID ID XXCVII.

STRENA CHRISTIANA, AD
nobilem ornatissimumq; virum, Dn.
NICOLAVM RHEDIN-
GERVM, patritium Bratis-
lauensem.



Rgo etiam Iesu auspicijs hunc pro-
dromon annum

Anni fatalis, quod vix sperare lice-
bat,

Contigimus viui: & quod multis forte negatum est,
si non robusti & validi, tamen agminis ampli
Morborum expertes: aut si quis forsitan obortus
Sit morbus; tamen incolumes, iterumq; reuersi
Munus ad officij iniunctum, solitosq; labores:
Pace etiam, pacemq; bonis comitantibus vsi
Tranquillè, nisi quod, sic rem moderante Iehoua,
Filiolæ teneras hac ipsa luce sepulcro
Exuias pater importem. quo nomine quamuis,
Vt decet & fas est, animo haud mediocriter agro
Afficiar: quis enim partem sibi cordis ademptam
Non gemat aut doleat? tamen hic dolor ipse minu-
Seu potius nihil est, si sit collatus ad illum, (tus,

A 2

Quem

Quem penitus mihi vel totis ardere medullis
Sentio & excrucior, communes undiq; fratres
Subiectos diris calcaribus Antichristi,
Auxilioq; hominum viduos, quando audio, partim
Obsidione premi, passim Bellona repressam
Dum fugat annonam, & quatiens immane flagellum
Peste fameq; furit, miserisq; extrema minatur:
Partim etiam pulsos patrijs crudeliter agris
Aspicio cum coniugibus puerisq; tenellis
Errare extorres, quos pridem lauta bearat
Copia, cunctarumq; placens opulencia rerum.
Aut alios proprio casos in sanguine verti
Accipio: inflammari urbes: cladesq; priores
Cladibus augeri innumeris, stragesq; ruinis,
Vsq; adeo, ut prorsus damnorum nullus aceruo
Se modus ostendat, subsit spes nulla salutis.
Strenuius siquidem pro libertate loquuntur
Omnes quam pugnant: tumido Mars innatat ori:
Dextra hebet, effoeto languet sub pectore virtus:
Quod fit fatales ubi poena coelitus urgent.
Ardescunt odia hinc regum, procerumq; potentum
Discidia haud ullis posthac coitura medelis:
Vtpote perpetuis hinc inde exercita flabris
Antichriste tuis, faculisq; agitata Megerae.
Quid querar interitus multorum & funera regum?
Funera mox alios poscentia successores,
De quibus aut abeunt studia in contraria ciues:

Aut

Aut certi si sint rege à moriente relictì ;
Qua sint mente tamen, qua vi, aut virtute futuri
Ignoratur adhuc. verum exitus ipse docebit
Quod dominis plerumq; nouis noua sarcina subfit.
Multos proditio velut in sua viscera versos,
Seditione potens, atq; insidiosa furenti
Exstimulat rabie: multos violentia dira
Ventorum & maris irati suffocat in undis,
Tellurisue tremor funesto absorbet hiatu.
Quid tibi iam memorem tot regna minamia regnis?
Tot populos populis? tot scandala? tot doctrinae
Toxica corrupta à falsis hinc inde prophetis?
Quidnam Idola gemam tam detestata Iehouae,
Et tamen innumeris sub sole armata patronis?
Quid recti, iusti, & veri, verumq; professæ
Trux odium & prorsus velut implacabile gentis?
Quid conseruorum certamina, iurgia, rixas,
Verbera deplorem? quid quod Dilectio, candor,
Et charis, & pietas toto velut exsulat orbe.
Exsultat vis, fraus, rabies, & iniqua tyrannis.
Regna tenet Venter ter maximus ille deorum:
Cui circum apparent Plutus, Bacchusq;, Venusq;.
Huic uni iam sacra deo faciuntq; litantq;
Illi etiam, qui se id nolunt fecisse videri.
Religio plerisq; nihil nisi nomen inane est.
Nomen inane Deus, lex, ius, concordia, virtus.
Quis non, principia hæc spectans, grauiora subesse

(Omina principijs nam tristia tristibus insunt)
Præmetuat, rectis ingenti horrore capillis
Stantibus, & trepidis argenti in corpore membris?
Quis sibi, dum paries ita proximus ardet, ab igni
Non timeat propria se restinguente ruina?

Verū animo tamen esto bono grex paruule, nec te
Excrucia nimium, sed contra audentior insta,
Hæc dudum prædicta memor fido indice Christo:
Qui nos cernentes, iam qualia cernimus ægri,
Tollere vult capita, & finem sperare malorum
Instantem, obijcibus nullis remorisq; tenendum;
Principiumq; simul summi æterniq; lubentes
Exspectare boni. cui cur parere recusem?
Præsertim cum tot tantis solamina curis,
Tot bonus antidota opponat mitissimus ipse
Seruator mundi, quoduis victura venenum:
Verum illa in sacris cupide scrutanda libellis:
E quibus hoc unum, nisi displicet, optime mecum
Rhediger Elysie ò fulgens telluris ocelle,
O bene morata lux gemmea Bratisileæ,
Exige sollicitis hac tempestate camœnis.
Quæq; ego, nec firmus sat nunc, & luctibus æger,
Non potui ut volui, utq; æquum fortasse fuisset,
Peniculo illustrare mei genij atq; loquelæ;
Tu, meliore fluit cui carmen amabile vena,
Argutamq; magis, magis illa ornare labora.
Atq; unum hoc nunc illud erit, quod tempore cœnæ
Postremæ

Postrema Christus, iam corpore discessurus,
Mansurus praesens omni vi numinis æuo,
Discipulis inter complura leuamina verbis
Sollicitis placidè inculcat, quando anxius infit:
Illa ego sum vitis verissima; vitifatorq;
Est pater ille meus: vos ista in vite nouelli
Estis malleoli, uuarum mustiq; feraces,
Si modo concordēs semper maneatis in illa.
Hos siquidem bene malleolos purgatq; putatq;
Sollicita sibi falce pater, redditq; subinde
Fructiferos magis atq; magis. sed nescia fructus
Sarmenta & crema abscindens à corpore matris,
Tollit, ut arescant procul extra septa virentis
Vineti, infernisq; ministrent pabula flammis.
Ergo in me potius viui vegetiq; manete,
In vobis ego. sic pulcris mea vinea botris
Lata erit, & multas decerpēt vinitor vuas.
Nam sine me, veluti palmes de vite resectus,
Naturæ nihil efficitis vi, nilq; potestis,
Proficitisq; nihil. sine me labor omnis inanis.
In me autem si constantes remanere voletis:
Et mea verba inerunt vestris infixæ medullis:
Eia agite unanimes, quouis urgente periclo,
Queiscunq; aut curis miseris angoribus æui,
Orate, & cœlum vestris onerate querellis:
Et voti vos victores pater ipse precatos
Efficiet sine fraude lubens. nihil ille negare

Vel minimis poterit tam miro in corpore membris.
Sic ait, & placidis subiungit cætera verbis,
Quæ modo præteriens alijs memoranda relinquo.

Nunc sibi quid palmesq; ferax, sterilisue, quid
Mystica, et in sacro celeberrima codice vitis, (illa
Vitisatorq; velint, paucis euoluere verbis
Mi liceat, flatu Christi duce, & auspice Christo,
Quo solo nil difficile est, nil triste benigno.

Nec tamen hic fore quæ credo stupidumq; rudemq;
Vsq; adeo, qui sub vite hac, (licet illa disertè hic
Expressis verbis vitis quoq; vera vocetur)
Arborei hoc generis lignum fragile atq; caducum
Accipiat, cui nunc ulmus, nunc populus arctè
Iuncta maritatur; vel qua vestita virescit
Pergula frigidulam præbens cantantibus umbram:
Vel quæ serpit humi vidua, atq; pedaminis expers:
Suspenditue suos vicina è sepe racemos.

Non lignum tale est Christus, non ligneus ipse.
Sed lignum hoc Christi viua atq; insignis imago est,
Naturam officiumq; eius, viresq; salubres
Iucundè repræsentans, fideiq; serenis
Subijciens oculis. hanc vitem patribus olim
Sæpe figuratam, tunc VERBUM cum CARO factū,
Prorsus in intacto sinceræ virginis aruo,
Aligero præcone, sacri & vi flaminis, unam
Plantavit solamq; pater, pater optimus ille.
Dico unam & solam. nam nullius illa sororis

Aut

Aut consortis eget, per se satis ampla potensq;
Atq; adscititij non ullius indiga fulcri.
Hanc hodie quoq; conseruat sator, atq; tuetur
Inuicta æternaq; manu. sociosq; laborum
Adiungit sibi, quos libuit, vitisq; colonos:
Sic tamen ut dominus vitisq;, & vinitor ipse
Sit princeps maneatq; sua, non indigus unquam
Vllius auxiliij, non vitifatoris egenus:
Nec proprios sibi mortali cessurus honores.
Nos vero quales materna educimur aluo,
Nil præter peccare unum labiue scientes,
Natura sarmenta sumus sicca, arida, succi
Nullius aut fructus, tantum ignibus apta Gehennæ.
Ergo etiam ut fructus certos quandoq; feramus,
Quis sine se nulli cœli atria celsa recludum;
Huic uni manus agricolæ nos astrica viti,
Quando ipsi placet et libitum est, purgante lauacro
Baptismi, et sanctis id testificantibus undis,
Inserit, insertosq; rigat quasi rore beato
Cœlestis verbi, legere & meditarier acri
Tantisper quod vult studio, vitalibus usq;
Imbuti donec succis vitam inde trahamus
Fructiferam. culturae huius scopus unicus hic est.
Quocirca & crucis accedit mox falcula dura,
Quæ carnis quasi luxuriam, sublata secundis
Quæ rebus seruare modum temeraria nescit,
Comprimit, & steriles vitis de corpore ramos

A s

Amputat,

Amputat, & reprobos inferno destinat igni.
Fructiferos verò pedetentim sordibus atris
Eluit, & sancti face flaminis urit & ornat
Expoliens, fructu longè vberiore deinceps
(Quantumuis animæ sanguis persæpe diuq;
Vbertim erumpant lacrymæ, dent vulnera plagæ)
Agricolæ ut placeat. Neq; enim vel nomine nudo
Christicolas nos esse decet, sed fructibus orbos,
Ceu ramos vitis steriles. nec proderit ulli
Insertum semel huic viti quandoq; fuisse;
Illi ni penitus veluti & radicitus hærens,
Hauriat hoc imo latices è corpore viuos,
Et fructu celebres, palmes quo fertilis uno
Arguitur: neq; enim paliurus proferet vnam.
Nec tamen ut noceat ferri illud stringit acumen
Vinitor ille bonus, cui tam sua vinea cordi est;
Sed potius viti ut prosit: non perdere rumpos
Sed sanare volens. non fructu fertile lignum
Vel minimo, cupiens abscindere falce; sed illud
Firmius inserere, atq; imis impingere fibris
Viuificæ matris satagens: memoracula sacræ
Nos quoq; quod cœnæ, quoties iterantur, abunde
Perspicueq; docent, illorum scilicet usu
Nos magis atq; magis tantæ coalescere viti:
Et Christo capiti, ceu membra, vnirier vni,
Cum quo nil unquam unitos auellere possit:
Non mors, non Satanas, non Lex irata Iehouæ,

Non

Non Erebi rabies. huic viti palmes inherens,
Cum libitum illius est summo primoq; satori,
Vel lunæ ad radios mites eduxerit vvas.
Hanc extra, nec milleni producere soles
Quod placeat Domino possunt, non mille coloni.
Quidquid enim palmes profert, id munere vitis,
Quæ terræ uberibus firmis radicibus hæret,
Prouenit, augetur, mitescit: qua sine vili
Non melior cremio est palmes, stipulaue rigente.
Hac sine nil prorsus, cumq; hac simul omnia palmes
Et valet & potis est. Nihil hic natia voluntas,
Libertas nihil arbitrij, nil cætera profunt
Somnia vel Sophiæ, vel ranarum Antichristi
Excrementa, licet vel claro inducere soli
Nitantur tætras, cælo sine nube, tenebras.
Nequicquam. nihil hic enses, nil fœdera possunt,
Nil vis, nil numerus, tandem Alethea triumphat.
Sed iam scire voles, quodnã tam nobile vinculum,
Copula quæ Christo sic nos coniungat, & arte
Vniat adiunctos, vt sic maneamus in illo,
Atq; ille in nobis, nihil vt seiungere verè
Huic semel unitos æterna in secula possit.
Copula quam dico, est, paucis tibi plurima verbis
Vt promam, tantum vna fides, non illa loquaci
Se iactans plectro, & stolido secura veterno:
Non illa historiæ tantummodo credula sacre,
Dæmonijs quoq; communis: non temporis ardor
Futilis

Futilis exigui, & fibræ vitalis egenus:
Non vis edendi miracula insueta, sed illud
Immortale dei Donum, insuperabilis illa
Recti operosa fides, à sancto flamine sacrum
Per verbum accensa, id quod mens sibi conscia, fido
Teste Deo conuicta, unum verum esse piùmq;
Diuinamq; adeo veri omni tempore normam
Credit, & assentit cunctis quæ continet illa:
Constanterq; simul parendum credit iisdem.
Certò etiam secum statuens, Christi unica propter
Vulnera, & exhaustam nostra pro labe luelam,
Se recipi expertem meriti, gratisq; placere,
Et carum esse Deo: donari pneumatis almi
Primitijs, & cum vitæ nouitate regigni,
Ut certa esse queat, quod non mutabilis unquam
Ille Iehoua, semel quæ cœperit ipse, deinceps
Sit perfecturus, dum plena redemptio fines
Nacta suos, cœli tandem sacraria pandat.
Hac igitur spe freta bonis præsentibus uti
Lata potest, ceu pignoribus vadibusq; bonorum
Cælestis vitæ, de qua certissima, firmo
Nec dubitans animo, tranquilla in pace quiescit:
Pace illa omnigenis mundi potiore triumphis.
Non segnis tamen aut torpens, sed viuida veris
Fructibus, indicibus cordisq; animiq; fidelis.
Nam Christi hoc meritum quando cum crimine confert
Supplicijsq; suis, talis quæ nescia lytri

Æternum

*Æternum infernis mox sustinisset in undis:
Usq; adeo in tantos patris exardescit amores;
Ut quantum fieri fragili hac in carne malaq;
Est potis, à vitijs caueat sibi prompta lubensq;
Secteturq; bonum, non tam formidine pœne;
Quam tam mirifici æternos in patris honores.
Quem nimis audacter, post pridem præstita gratis
Tot benefacta, nefas offendere credit, & eius
Se totam obsequio addicit cupideq; volensq;
Quin etiam aduersis infringi nescia rebus,
Adiutore Deo, subit hic, perfertq; lubenter,
Quæ perferre iubet semper spectanda Iehouæ
Gloria, quo solo & fido patre freta, cadendo
Surgit, & innocuis pugnat victura triumphis,
Imperfecta licet, multisq; subinde tenebris,
Et nebulis fusca et languens; sed mortua numquam,
Numquam defectura fides, promissio fulcit
Quam numquam vertenda Dei. manet atq; manebit
Propositum credendi illud sanctumq; piunq;
Parendiq; Deo. remanet vis illa reluctans
Angori mentis trepidæ: victrixq; tenebras
Discutit, & solitas recipit cum foenore vires.
Donec in æternam patriam, sedesq; beatas
Translata, in cœlo, hic certò sibi credita, coram
Adspectet, vultumq; Dei numenq; tuendo
Speratis quandoq; bonis cumulata fruatur.
Hæc quippe est vera illa fides, quæ sola vocari
Iustificans,*

Iustificans, Christo sic constituyente, meretur.
Saluifica hæc & recta fides. hanc namq; per unam;
Et manet in nobis, & nos remanemus in ipso.
Hæc victrix fraudum Satanae, Dilectio cuius
Filia, mundi iras, noxas, damna, atq; dolorum
Telorumq; atram segetem sine murmure vincit.
Quisquis es assiduis precibus votisq; fatiga
Tam mitem blandumq; patrem, verumq; leuam;
Vt vitis tam mirificæ sis surculus, atq;
Æternum mancas, numquam abscindendus ab illa.
Huius enim voti verè qui compos abiuit,
Illum nec Boreæ rabies, nec turbidus Auster
Deiciant: illi non frigora seua nocebunt:
Non æstus, non ferri acies, canæue pruinae.
Quin etiam magni si flagrans corruat orbis
Machina, noxam extra tantas spectare ruinas
Impavidus poterit, viti huic impactus & hærens
Firmiter, ignarusq; eius de stirpe reuelli;
Sed fundens pia vota Deo discrimine in omni,
Extremum quem consugium sibi credit & unum,
Et numquam spe votorum frustratur inani.
Nam Deus hoc vinculum propter, quo viuida viuæ
Membra sumus vitis, iam quantus quantus ubiq;
Imperat, est totus noster, nullamq; repulsam
Ferre sinit quemquam, capite hoc qui pendet ab uno,
Viuificosq; trahit tanta è radice liquores.

Cur tamen interea, dices, sator optimus ille

Tam

Tam diæ vitis tot in illo scandala perfert
Vinetos? de palmitibus non vua sed omphax
Tam multis cur gustu adeo dependet acerbo?
Hispidæ cur acinos fundit labrusca rubentes?
Conspicua vnius cur vitis membra tot annos
Bella infaustra gerunt? cur ramum ramus inumbrans
Verberat, & totidem recipit pro verbere plagas?
Vndiq; cur dirum iacit amphibæna venenum?
Et quo plura dedit plura ei aculatur in auras
Diffusa missilibus telorum iactibus histrix?
Discidijs cur distracti rabieq; coloni
Sarculaq; & marras in mutua viscera vertunt?
De nostris cur finitimi sua gaudia bellis
Percipiunt, miscentq; olidis conuicia sannis?
Atq; ita ludibrijs agitant mala nostra pudendis?
Cur toties Dominus vitis virgulta cruentis
Irrorat lacrymis? resonat cur vinea fletu?
Vinetum cur ille suum sic linquit inultum?
Denudatq; illud solitis circumvndiq; septis?
Cur hosti id prædam statuit, populisq; profanis?
Cur id sæuus aper pede proterit, eruit ore?
Cur volucres carpunt? cur bestia quælibet illam
Depopulat? cur flamma vorat propaginis arcus?
Tam sancti cur fracta gemunt, aut cæsa bipenni
Brachia vineti? cur nam ruere omnia pessum
Quis putet, & nullam prorsus superesse salutem?
O pater, an frustra occidua Babylonis ab aruis

Traduxti

Traduxti vitem ipse tuam, quò purius illam
Fertiliore solo sereres? numnam illa tenellas
Nequicquam fibras viua è radice comantes
Vndiq; diffudit? montes num pampinus altos
Transcendit frustra? num duris æmula cedris
Brachia tranarunt frustra vasti æquora ponti?
Num frustra ambrosio mundum compleuit odore
Flos vitis, cui nec Syrium certarit amomum?
Sit procul hoc. tantorum igitur quæ causa malorum
O dilecte parens? tanto quam quæso furori
Constitues metam? numquid flamme instar adauctæ
Flatibus, absq; modo desæuiet impetus iræ
In vitem sine fine tuam? pater optime verte
Has potius flammæ irarum & fulmina sæuos
In Turcas, Moscos, & bella rapacis Iberi:
Qui nomen, viresq; tuas, dextramq; potentem
Aut planè ignorant, aut notam more piorum
Non celebrant, non, ut par est, reuerenter adorant.
Quiq; adeo nostras armis atq; ignibus vrbes
Perdere tot satagunt studijs furialibus annos.

Nec meritum tamen hic spectata pater optime no-
Sed diuina tui quid gloria nominis à te (stru:
Postulet vsq; vide. Nam si mala nostra putemus;
Nos equidem nos iusta tui vindicta furoris,
Vltio iusta premit, propter contagia labis
Natiuæ, & reliquas quouis in palmitè sordes.
Interea tamen ipse tuos nostiq; videsq;

Et

Et tegis & seruas per tanta pericula ramos.
Lacrymulasq; inter crebras, mundiq; tumultus,
Fructiferos facis, & vires quoq; sufficis, ante
Quid quiuis perferre queat non inscius, aegris.
Quin etiam in medijs cœli hos terræq; ruinis,
Ipsa hominis quamuis ratio contraria dicitet,
Intactos vis, & potis es tegere atq; tueri,
Promissisq; bonis cœlorum in luce perenni,
Mirificis explere modis. quidnam amplius optem?

IN CUCURBITAM EMBLEMA.

CVi nullæ standi sunt vires, robora nulla
Absq; pedamento, nihilominus æmula tanquam
Summorum, & certis arctari nescia metis
Alta petit dubijs innixa cucurbita fulcris:
Perreptat cameras hortorum, arctisue flagellis
Parietibus sese insinuans cito culmina scandit
Celsarum domuum, vario quas ornat amictu,
Dum folia expandit latissima, flore superbit
Aureolo & magno, grataq; habitabilis umbra est.
Et licet è flore hoc serali tubere fructus
Prodeat ipse grauans matrem, retrahensq; deorsum
Mole sua nisi lenta ligent circumdata tignis
Vimina, de salice aut sparto confecta tenaci:
Hoc tamen illa modum supra metamq; tumescit:
Hoc sibi ventre placet: tam celso vertice gaudet
Mirificè: at frustra. autumnis vix frigore primo

B

Nam

Nam folia crescunt, flos decidit, interit ipsa:
Vener in hibernæ pendet laquearibus aula:
Fulcro eius pascit brumalem rusticus ignem:
Et superest nihil è tanti splendoris honore.

Si sapi exemplo hoc monitus, te nosce, tuisq;
Non vitijs ignosce nimis: maior aq; nunquam.
Viribus aggrediens tua contrahere lintea, magnis
Nec nimium vel principibus, vel fretus amicis
Alta pete, ut grauiore cadas quandoq; ruina
Depressus proprijs vitijs, rebusq; gerendis,
Tractabas tantis modo quas conatibus, impar.
Quin nimium fulcris istis ne crede caducis,
Qualia multa vides anno cecidisse priori,
Venturo quoq; multa cadent: res despicere mundi,
In quarum leuitate mera constantia summa est.

IN VNO CHRISTO SALVS.

Vna salus hominis, vite est spes unica Christus,
Quo sine qui querit cumq; salutis iter;
Is media in glacie violas, interq; pruinas
Lilia, et aestiuo querit in imbre niues.

IN VESICAM EMBLEMA.

Membranã en turpẽ rugis, laceramq; scabramq;
Hac vesica prius magna tumensq; fuit.
Hanc puer inflatis buccis repleuerat aura, et
Sic, pellem præter, nil nisi ventus erat.

Mox

Mox tria pisa idem iniecit, faucesq; ligavit,
 Atq; ita tractanti reddidit obstreperam.
 Iamq; illa impatiens tangi, & quasi nescia vincis
 Ludentem contra profiliebat herum.
 Quin tantos strepitus leuiter quoq; tacta ciebat,
 Illorum impatiens ut domus ampla foret.
 Heu vento nimium fidens, flatuq; fugaci!
 Heu pisis nimium facta proterua tribus!
 Quod puer idem ipsam docuit: namq; ille ferocens
 Exilis leuiter cuspide punxit acus,
 Idq; semel tantum. mox illa oblita tumoris
 Et strepitus, subito concidit exanimis.
 Utq; vides, hic flacca, silens, rugosa, putrescens,
 Nullius & posthac vsibus apta, iacet.
 Sis humilis, celsasq; miser non erige cristas.
 Depressa exaltat, deprimit alta Deus.
 Sis humilis, subitoq; nimis ne fide tumori,
 Mox minus est nihilo qui modo summus erat.

NE TEMERE QVEMVIS
 CONDEMNATA.

AD condemnandum ne p[re]ceptus esto, sed ante
 Qui sis, qui fueris, qui possis esse memento.
 Et nisi sis melior, tantumq; a crimine distes
 Quantum a crystallo glacies, ab Iaspide vitrum;
 Te cohibe, labemq; tuam prior ipse co[er]ce,
 Quam damnes alios nihilo te deteriores,
 Aut dignum ferula horribili sectere machera.

B 2 M E-



MELIVS ESSE, QVAM VIDERI.

Simia quid refert Elephas Leo siue putetur?

Quid refert asinus si videatur equus?

Quod non es, nulla cupias ratione videri:

Sed quod haberi optas, id simul esse velis.

Certior ad veram laudem te semita nulla

Duxerit. hoc virtus tendit in alta gradu.

VIRTVS

PRÆCEDIT HONOREM.

Roma caput mundi prisco dum flore vigeret,

Structa ibi finitimis fana habuere locis

Et Virtus & Honos. sed sic ut limen Honoris

Nemo repentino posset inire pede;

Ni prius ingressus templum Virtutis, in illo

Traxisset solitas, non sine laude, moras.

Quisquis es, ad magnos cui mens adspirat honores,

Hoc agito, ut similes ingrediare vias.

EPITAPHIVM

COMMVNE OMNIBVS PIIS.

Res nihili expertus terrenas esse, nihilq;

Hic nihili iaceo pulueris umbra, nihil.

Ex nihilo sed qui coelum hoc terramq; creavit

Me cum carne mea non nihil esse sinet.

Non animam sinet esse nihil: falsumq; probabit

Hoc; Redit in nihilum, quod nihil ante fuit.

Hac spe ipsam nihili mortem, nihili omnia feci,

Et nihili vermes hic quoq; curo nihil.

Nil

Nil tenebras, nil foetorem: Christus modo nil non
Sit mihi, quo sine sunt omnia nostra nihil.

VERVS THESAURVS.

Collige, si sapias, thesaurum sine carentem,
Quo possis ipso in mortis agone frui.
Quiq; etiam vicina tibi post funera duret,
Qui tibi non adimi viue doloue queat.
Terrenis opibus nihil inconstantius errat,
Sæpius ante ortum quæ periere suum.

AMOR DIABOLI AMATIS
exitiosus.

Sicut amat gluto vitulum, porcumue bimestrem,
Mox pinguem ut cupido dente vorare queat:
Sic Satanas natosq; suos, sociosq; beatos
Diligit, aeterno perdat ut exitio.

DICTVM D. BERNARDI.

Filia Religione sata est Opulentia matre,
Est genitrix natæ facta sed esca suæ.

QVID IN REBUS HVMANIS
MAGNV M.

Rebus in humanis nil magnū est iure vocandum,
Mens nisi, quæ mundo spernere magna potest,
Quæq; Deum, verè qui magnus dicitur vnus,
Magnus est, quæ vult, cum pietate colit.

IN SCELETVM.

Aspicis hæc hominis quoties nuda ossa, memento
Rebus in humanis hic proprium esse nihil.

Nil stabile aut fixum prorsus quod adhaereat ulli,
Commune hoc hominum cum superarit iter.
Non formam aut vestem, nec opes, non deniq; car-
Ex nihilo in nihilum quam rediisse vides. (nē,
Infelix inhiat tantum qui talibus umbris,
Æterniq; expers sustinet esse boni!

PVER INGENVVS

VT generosus equus vel virgæ obtemperat um-
Degener ad scuticas segnis inersq; iacet: (bræ,
Sic puer ingenuus monitisq; & laudibus actus,
Officium peragit sponte lubensq; suum:
Improbis & segnis contra nil laude mouetur,
Et verbis nisi sint verbera iuncta, riget.

IMPEDIMENTA BONÆ
VALETVDINIS.

Qui bibit ante sitim: ignavi qui viscera ventris
Distendit multis, esuriam ante, cibus:
Qui somnum, nullos præmittens ante labores,
Captat, & immodica membra quiete rigat:
Cuncta suis qui delitijs, nondum indigus, ante
Occupat, affectus nec ratione domat:
Fallitur & fallit longæque tempora vite
Si spondere sibi stultus inersq; velit.

PRECES ACAD. ROSTOCHIEN-
sis in Actib. Ictorum.

Quis tibi pro bonitate tua, pro munere tanto,
Magne parens rerum meritas persolvere gra-
tes, Quis

Quis celebrare satis rector queat optime mundi
Virtutem laudesq; tuas? tu scilicet ille
Optimus es, mitisq; parens, & maximus idem,
Qui mundi in medijs defendis amasq; ruinis
Reliquias, gentemq; tuam, cui nobile præter
Manna poli, das iusticiæ, legumq; sacrarum
Doctores oculos regum, qui vera fidemq;
Conseruent homines inter, ne fortior vnus
Omnia pro libitu peragat, pessumq; minores
Det celer, ut dictat mala pro ratione voluntas.
Qui faciant, casta ut cunctis vno ore loquatur
Eunomie, legesq; regat moderaminis æqui
Arbitrio, prauos tandem ut sua pœna sequatur;
Præmia digna boni capiant, turbisq; remotis
Consilio patrum sapienti curia felix,
Iudicijsq; forum iustis celebretur: & inter
Floreat unanimes pudor & concordia ciues.
Tu passim, dum terrificum Bellona flagellum
Concutit, & pestis multis grassatur in oris,
Nobile Varniadum volut eximis ipse rosetum,
Defendisq; umbra manuum, hæc Academia leto ut
Flore reuiuiscat: Rosa spinas inter obortas
Ut micet, & fragrans passim per littora Balthes
Ceruleæ, atq; alibi gratum diffundat odorem.
Iustitiæ doctor tu primus & ultimus, ipse
Hos quoq; cultores Themidis, quibus illa nouellam
Ex amarantheo iam nescit flore coronam

Doctorem, sine fine doce, ductuq; gubernans
Flaminis ætherei, ut iuris iustiq; patroni
Perpetuo tibi grata, tuas cumulantia laudes
Consultent, cupiant, dicant faciantq; lubentes,
Donec & æternam accipiant te dante coronam.

A D CHRISTOPHORVM VVI-
NERVM, ELEGIDION.

Mystica non uno Christi indiget area cultu,
Area, cui Christi mystica vitis inest.
Plantat hic, iste rigat: vites ulmo ille maritat:
Egerit hic silices: effodit ille solum.
Falce alius sarmenta metit: vel pampini eadem
Luxuriam, si sit viti onerosa, domat.
Hic diras abigit volucres: rostroq; timendos
Fulmineo vitis damna repellit apros.
Exercent alios alij, vocisue sonore
Cantu animant operas in pia cœpta pias.
Laudibus ille Deum, primam qui protulit vuam,
Tollit & eximium vitifatoris opus.
Cultores alius vitis tam nobilis ornat
Laudibus, ut cedat laus tamen illa Deo.
Maeste animo Ampeloerge, Deus tua cœpta secūdet,
Det capiti pietas cedrina ferta tuo.
Vtpote non una tantum ratione modoq;
Vinitor hæc Christi qui catus arua colas.

Nam

Nam teneræ ætati vitæ documenta beatæ
Inculcare labor maximus ante fuit.
Iamq; Ecclesiolam in mandra tibi rite dicata
Tyrigetas inter de pietate doces.
Doctrinisq; pijs pia carmina iungis, & ornas
Christiadum melicis sacra precesq; modis;
Qui labor est potior, maiori & laude vehendus,
Discidijs Christi quam laniare gregem.
Consortesq; operum fraude & vi cedere seruos,
Iudicis & iusti non meminisse DEI.
Sis felix iterum, & cœptum feliciter urge,
Et mage patronos experiare bonos,
Quam plerumq; mihi, fastos dum condo, suere.
Magnum opus, atq; humeri saepe gementis onus.
Chalcographi quoq; contingant non prorsus auari,
Quos cum mundicie cura fidesq; iuuent.
Quis sine, peniculis nostros vel spongia fastos
Imbibat, aut blattas lugubre pascat opus.

VERA SAPIENTIA
à solo Deo.

A solo sapiente Deo sapientia vera
Atq; salutaris non aliunde venit.
Stultitia est stulti insipiens sapientia mundi,
Fallitur & fallit qui Domino absq; sapit.
Hac neglecta igitur, cupida illam mente sequamur.
Nam satis in Christo qui sapit, ille sapit.

B 5

Nec

*Nec tamen iccirco linguas spernamus & artes,
Munera quas magni sat patet esse Dei.
Quis sine nec Christi florere Ecclesia, nec pax
Hic homines inter certa vigere queat.
Verum illis semper sic inuigilemus, ubiq;
Sit tamen ut vera nil pietate prius.*



DE SYMBOLO
VERNACULO DN. IACO-
BI MONAVII V. CL.

ACH GOTT SCHICK ALLES
ZUM BESTEN.

ODARION

NATHANIS CHYTRÆI.

Im thon: Ich hab mein sach zu
Gott gestellt.

Oder: Kompt her zu mir sprich
Gottes Sohn.

ACH Herr ich seuffte allein zu dir.
Denn du allein kanst helffen mir
Aus all meinem Elende.
Vnd hast mir auch geholffen zwar
Sehr offte aus Leibs vnd Sehlen gfahr:
Wilt helffen auch zum Ende.

GOTT

GOTT du warst / da ich vngelorn
Mein Vater / der mich auserkorn
Hat zu einem bessern leben.
Im eingang dieses Elends mein
Liessest du mich dir besohlen sein
Erhielst mich auch gar eben.

SCHICK auch jekund was nutz ist mir /
Wie du von jugent für vnd für
Mich geleitt hast vnd regieret:
Nuch so viel Sünd aus lauter gnad
Vergeben offt / manch straff vnd schad
Von mir selbst abgeteret.

ALLES was ist auff dieser welt /
Es sey ehr / macht / pracht oder gelt
Das mus alles hie bleiben.
Allein die Göttlich warheit dein
Mit deinem lieben heufflein klein
Kan niemand gar vertreiben.

ZUM selben heufflein ich auch zwar
Gern treten will / ob schon gefahr
Vnd jamers viel darneben.
Gib du mir deines geistes krafft
Die mich in trübsal mach standhafft
Dir z' glauben vnd zu leben.

BE-

BESTENDig sein ans End gib mir/
Welchs gar allein her kumpt von dir.
Dein Kirch vnd warheit schuke.
Brich/ steyr vnd wehr des Teuffels list/
Vnd mach zu nicht den Antichrist.
Der Todt komme mir zu nuke.

QVOD AVCTORITAS SACRA-
rum Litterarum sola sit Ἰερότυπος,
ἢ οὐκ ἄνωγος.

O D A

NATHANIS CHYTRÆI
ex Latino Germanica.

Interprete

H. F. VV.

Im thon: Erhalt vns Her bey
deinem Wort.

REin Adams Kindt geboren wahr/
Das feilends ohnig sein solt gar:
Drumb nicht vertraw deiner Sehlen heill
Allem was im Buchladen feill.

Ja da gleich kehrt vom Himmel her
Ein Engel/ brecht ein newe lehr/
Trus glaub ihr nicht: Dann allein ist
Die Bibel ohn betrug vnd list.

Was

Was dich die' einzig heilig Schrift
lehret/ die Göttlich warheit ist/
Was sie gebent/ ist gütigkeit/
Ihr will/gnad/vnd barmhertzigkeit.

Was sie gut preist/ ist lobes wehrt/
Was ihr nicht gmeß / gar nichts ist wert/
Ja was sie zusagt vnd verheist/
Das ewig leben selber ist.

Nicht hie zu untermengen sein
Eignes gehirnes trewn vnd schein.
Nuch nicht hie von zunehmen her
Erzwungne behelff unreiner lehr.

Thu nichts hinzu/ nim nichts dauon/
Wie Klügling leider allzeit thuen.
Laß aus der Bibel dein gezenck/
Gotts willen/ ehr/ euer/macht/ bedenck.

Vnd such allein die warheit schlecht/
Vnd wie ein Spruch den andren recht
Auslegt: welchs gibt der heilig Geist/
Den/ die drum bittten allermeist.

Wehrß anders liest/ vnd zeucht dahin
Da blinde affect hin treiben ihn:
Der ist gleich einer Spunten kalt/
So aus Rosen feugt giftes gewalt.

Hero

Herodes vnd die Phariseer/
Sophisten vnd auch Sadduceer
Weid alt vnd new auff solche weiß
Die Bibel auch durchschlagen leiß.

Lieber du / wie die Bien / dir nimm
Draus den Göttlichen Honnigsehm
Der warheit / so weder durch list
Noch gwaldt zu überwinden ist.

Dann dieses Buches Meister ist
Der welt Jehoua Jesus Christ/
Der aller gürtigst Vater wehrt/
Vnd Schutzherr seiner kleinen Herd.

Der ohn betrug allein Warheit/
Ohn bekargung die Mildigkeit/
Ohn end vnd maß die Seligkeit
Gewesn ist / bleibt in ewigkeit.

Der sey von aller Welldt gepreist/
Sampt Vater vnd dem Heiligen Geist/
Die hochgelobt Dreueinigkeit
Nun immer vnd in ewigkeit.



Hu-

Humanis, & doctis, viro
D. NATHANI CHYTRÆO,
filiolæ suæ Catharinæ obitum lugenti,
PAVLVS TARNOVIVS
S. D.

Gaudebunt alij, tu lacrymaberis?
Cantabunt alij, tu tacitus domi
Non psalles veteri more tuo melos
IESV filiolo virginis integræ?
Ne te, ne, ô rosæ dulce decus scholæ,
Immatura tuæ mors ita filiæ
(Quamuis illa tibi carior omnibus
Thesauris fuerit, vulnus & in tuo
Decedens animo fecerit asperum)
Affligat, neq; iter voci adeo tuæ
Argutæ obstruat, ut filiolo Dei,
Quod lux hæc fieri flagitat annua,
Non præstare queas. Erige paululum
Humentes oculos, & caput entheum:
Nec frustra tibi sint tanta volumina
Scriptorum veteris sæculi, & ultimi
Huius cognita, quæ suppeditent tuo
Ægrotanti animo commoda pharmaca.
Quod si forte doles plus nimio, & nequis,
Quæ iam nota tibi sunt medicamina,
Ob vim mœstitiæ, singula vulneri
Admouisse tuo; hoc saltem animo tene:

ES

Et versato dix: si capitis pilus
Nostri vel minimus defluere haud potest,
Si nolit DOMINVS: numquid ei tua
Curæ non fuerit filia? qui modo
Curet tam patrio nostra superflua.
Huic si complacuit, quam dederat tibi
Gnatam, coelicolis addere; cur geras
Bellum non homini conueniens pio?
Expellas potius tristitiam, & Dei
Nato, quæ solitus, carmina concinas,
Totam inter superos ceu Catharinulam
Certum est cum pueris innocuis pari
Tecum esse in studio. quod superst, tibi
Versandum potius, quam calamo meo
Scribendum fuerit: nam timidus male
Vix fuit pudor hæc scribere paucula.

FINIS.



154802


AB: 154802

ULB Halle 3
003 864 588



5b.

VO 17



R NATALIS
IESV CHRISTI
SALVATORIS
CID ID XXCVII.

DE VINEA CHRISTI.
Cum Appendice.

